



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 260. Vtrum iustitia originalis, qua in Adamo inferiora erant perfectè subiecta superioribus, fuerit donum supernaturale, & in quo consisteret?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

omnino aufert, neque impedit, sed illas ordinat. Temperati enim est concupiscere sicut oportet, & quæ oportet, ut dicitur 3. Ethic. c. 1.

24. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia viuacitas sensuum, quæ consistit in hoc, ut proposito obiecto sensibili, sensus non possit illud non percipere, non est imperfectio contraria perfectioni status naturæ integræ, in quo debuit dari perfecta pax, & subiectio inferiorum respectu superiorum. At libido sentiendi, quæ per motus indeliberatos nos etiam repugnantes inclinat ad sentiendum appetitu voluptatis sensibilibus &c. est imperfectio contraria statui naturæ integræ, in quo debuit esse perfecta pax, & subiectio inferiorum respectu superiorum. Eo enim ipso, quod detur hæc libido sentiendi, datur bellum intestinum, & inobedientia, ac rebellio quedam inferiorum respectu superiorum. Hæc responsio desumpta est ex S. Augustino lib. 4. cap. 14. contra Iulianum dicente, aliud esse viuacitatem sentiendi, quæ verum à falso in rebus corporalibus, magis, minusque discernimus, aliud sentiendi libidinem, quæ nos ad sentiendum etiam repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit. Viuacitas sentiendi fuit in natura integræ, libido sentiendi non fuit, cum statum illum dedecet. Licet appetitus sensitivus sit potentia naturalis, quæ proposito obiecto sensibili, naturaliter ad illud inclinatur, tamen in statu naturæ integræ dono quodam supernaturali, quasi aureo quodam fræno fuit ita subiectus rationi, & voluntati, ut moveri non posset, nisi dependenter ab imperio, vel consensu rationis, & voluntatis, ut magis explicabitur quæ sequenti.

25. Ad 4. Heu! postquam peccare ceperat, præbendo jaures, & fidem quamdam adhibendo suggestioni serpentis, sensit in se excitari libidinem videndi, & gustandi pomum, & ex hac libidine, & concupiscentia orta ex peccato inchoato, inclinata fuit ad peccatum consummandum; ergo non probatur in Heu! fuisse motum concupiscentiæ, qui antecesserit omne peccatum, sed solum fuisse motum concupiscentiæ, qui secutus fuerit, & causatus ex peccato inchoato, ac præcesserit, & causauerit peccatum consummatum.

QVÆSTIO CCLX.

Vtrum iustitia originalis, quæ in Adamo inferiora erant perfectè subiecta superioribus, fuerit donum supernaturale, & in quo consisteret?

1. **V**idetur iustitia originalis in Adamo non fuisse donum supernaturale, sed naturale: primo quia quod est debitum, naturæ innocentis non est donum supernaturale, sed naturale; sed iustitia originalis, quæ inferiora essent perfectè subiecta superioribus, fuit debita naturæ innocentis; ergo &c. Pro-

batur minor: nam id, sine quo natura esset mala, inordinata, & monstrosa, est debitum naturæ innocentis; sed natura humana sine naturali integritate, quæ appetitus esset perfectè subiectus rationi, esset mala, inordinata, & monstrosa; siquidem mala, inordinata, & monstrosa est natura, in qua caro sit rebellis spiritui, & appetitus sensitivus sit rebellis rationi; ergo &c.

2. Secundo non est supernaturale quod ex se non conducit ad finem supernaturalem videndi Deum, prout est in se; sed iustitia originalis, quæ in homine inferiora sunt perfectè subiecta superioribus, potest non conducere ad finem supernaturalem, sed ad finem merè naturalem; ergo non est donum ex se supernaturale.

3. Tercio videtur non posse explicari, in quo consisteret hæc iustitia originalis; ergo, &c.

4. Respondeo, quod ut refert Bellarminus lib. 1. de Gratia primi hominis, cap. 1. Lutherus in Comment. ad 3. cap. Genesios, docuit iustitiam originalem fuisse naturalem primo homini. Sic enim dicit. *Quare statuamus iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatim à natura hominis, sed fuisse verè naturalem, ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuerunt in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt.* Et infra. *Porro hæc probant originalem iustitiam esse de natura hominis; ea autem amissa, non integra mansisse naturalia, ut scholastici delirant.* Eandem doctrinam licet non ita clare insinuat Calvinus locis à Bellarmino allatis, eamque secuti sunt communiter Novatores. Idem clarè docuit Michael Baius, cuius 27. propositio damnata à Pio V. & Gregorio XIII. est: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humane exaltatio, sed naturalis eius conditio, & ut dicitur in Bulla, eam sententiam Baius repetit, & probat per plura capitula.*

5. Dicendum contra hunc errorem: iustitia originalis, quæ in Adamo inferiora erant perfectè subiecta superioribus, non fuit proprietas naturaliter debita, sed donum gratiæ supernaturale, & indebitum.

6. Probatur primo auctoritate Patrum, & præsertim S. Augustini, qui lib. 4. contra Iulianum, cap. ultimo dicit: *Quid est gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebatur? Gratia quippe magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat; ergo ex S. Augustino subiectio, quæ caro in Adamo non erat rebellis spiritui, non solum erat gratia, sed erat magna gratia: sed ex eadem ratione perfecta subiectio appetitus rationi, & partis inferioris superiori erat gratia; ergo talis subiectio non fuit naturalis, sed donum gratuitum.* Testimonia aliorum Patrum, ac præsertim Basilij, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Ambrosij, Hieronymi, Anselmi, Bernardi, videri possunt apud Bellarminum lib. 1. de Gratia primi hominis cap. 6.

7. Probatur secundo auctoritate S. Thomae, Scoti, & scholasticorum, tum antiquorum, tum recentiorum. S. Thomas 1. p. qu. 95. art. 1. in corpore dicit. *Manifestum est autem, quod illa subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis; & paulo post: Ex quo datur intelligi, quod si deferente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Quæst. 4. de malo art. 1. dicit. *Est autem considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerat diuinitus quoddam supernaturale donum, scilicet originalis iustitia, per quam ratio subdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ.* Idem docet lib. 4. contra Gentes, cap. 52. & 2. sentent. dist. 31. quæst. 1. art. 1. ac S. Thomam sequuntur Thomistæ, nimirum Capreolus in 2. sent. dist. 30. quæst. 1. art. 1. Caietanum tum 1. p. qu. 95. art. 1. tum 1. 2. quæst. 85. art. 3. ad 1. dubium, Ferraricensis in comm. lib. 4. contra gentes, cap. 52.

8 Scotus in 2. Dist. 29. quæst. vnica loquens de subiectione inferiorum dicit. *Cum hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus, necesse est ipsum ponere donum supernaturale, quod sit illa tranquillitas perfecta in anima.* Idem docuerunt Durandus, & alij scholastici antiqui, & etiam recentiores, quos citat Bellarminus lib. 1. de Gratia primi hominis, cap. 5. & Suarius Prolog. 4. cap. 2. num. 9.

9 Probatur tertio ratione; Nam appetitus sensituius, cum sit potentia naturalis, ac necessaria, proposito bono sensibili, naturaliter illud appetit, & ad illud inclinatur; ergo vt proposito bono sensibili, illud non appetat, & ad illud non inclinatur, sed perfecte obediat voluntati, ita vt non moueatur, nisi ad nutum voluntatis, & prout voluntas imperat, debet dari aliquod donum supernaturale, quod vocamus iustitiam originalem.

10 Inferitur hoc donum perfectæ subiectionis appetitus respectu rationis esse donum supernaturale, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, non solum per accidens, sed per se. Probatur, & explicatur. Supernaturale per se, & quoad substantiam est, quod ita est indebitum naturæ, vt in nullo casu possit obtineri ex viribus naturæ: supernaturale per accidens, & quoad modum est, quod licet possit haberi ex viribus naturæ, tamen in præsentibus circumstantiis non potest haberi ex viribus, & exigentia naturæ, sed solum à Deo supernaturaliter operante; sed perfecta subiectio appetitus sensitui respectu rationis est donum ita indebitum naturæ, vt in nullo casu possit haberi ex viribus naturæ: ergo, &c.

11 Posito, quod iustitia originalis sit donum supernaturale, quæritur, in quo consistat. Dicendum breuiter, quod consistet in vna, vel pluribus qualitatibus supernaturalibus receptis in viribus inferioribus, & superioribus, per quas vires inferiores redderentur perfecte subiectæ superioribus, ac vires su-

periores redderentur aptæ ad mouendas, & regendas ad nutum vires inferiores.

12 Probatur, & explicatur. Corpora nostra ex se sunt grauiora, crassa, corruptibilia, passibilia &c. & tamen corpora beatorum per aliquas qualitates supernaturales, quæ vocantur dotes gloriose, redduntur leuia, subtilia, incorruptibilia, impassibilia; ergo proportionaliter licet corpus ex se non sit perfecte subiectum animæ, & appetitus sensituius ex se non sit perfecte subiectus rationi, tamen per aliquas qualitates supernaturales corpus redderetur perfecte subiectum animæ, & appetitus rationi: ac per proportionales qualitates anima, ratio, & voluntas perficerentur ita, vt possent pro nutu anima vt corpore, ratio, & voluntas appetitu sensitui. In his qualitatibus explicandis non est amplius immorandum, quia cum sint supernaturales, & non cadant sub experientiam, non possunt à nobis nisi sub obscure, & per analogiam cognosci. Videri potest Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 12. præsertim nu. 34. & seq.

13 Ad 1. nego iustitiam originalem, qua inferiora sint perfecte subiecta superioribus, esse debitam naturæ innocenti: siquidem, probatum est talem iustitiam esse donum supernaturale, ac prorsus indebitum. Nego etiam, quod si natura innocens crearetur sine perfecta subiectione inferiorum respectu superiorum, esset mala, inordinata, ac monstrosa, ac dico, quod etiam tunc esset bona, vt probabitur ex professo inferius, cum agemus de possibilitate status puræ naturæ.

14 Ad 2. distingo maiorem: non est supernaturale metaphysicè quod ex se non conducit ad finem supernaturalem videndi Deum, nego: non est supernaturale theologicè, transeat; transmittito minorem: & nego consequentiam. Ex dictis quæst. 156. num. 17. duplex potest distingui supernaturale, metaphysicum, & theologicum. Supernaturale, Theologicum est, quod per se conducit ad finem supernaturalem videndi Deum prout est in se: E. G. gratia sanctificans, lumen gloriæ, habitus fidei, spei, charitatis, virtutum infusarum &c. Supernaturale metaphysicum est quod ita est indebitum naturæ, & supra eius vires, vt per se non conducit ad finem supernaturalem videndi Deum, sed possit etiam dari in ordine ad finem naturalem: E. G. incorruptibilitas corporum est indebita naturæ, & supra eius vires, sed posset dari corporibus humanis, non ad finem videndi Deum, prout est in se, sed ad finem consequendi beatitudinem naturalem consistentem in cognitione, abstractiua Dei. Transmitti potest, quod iustitia originalis, qua inferiora perfecte subijciuntur superioribus, ex se possit non conducere ad finem supernaturalem videndi Deum, sed ad finem merè naturalem, adeoque non sit per se Theologicè supernaturalis: nihilominus est supernaturalis metaphysicè, quia est donum naturæ indebitum, & supra eius vires,

res, vt probatum est num. 9. & 10.

15 Ad 3. iam num. 11. explicatum est in quo consisteret iniustitia originalis.

QVÆSTIO CCLXI.

Vtrum Adam ante peccatum habuerit perfectam libertatem, qua nos post peccatum caremus?

1 **V**idetur Adam ante peccatum non habuisse perfectam libertatem, qua nos post peccatum caremus. Eatenus enim Adam habuit perfectam libertatem, quatenus habuit potentiam proximè indifferentem ad eligendum bonum, vel malum: sed etiam nos post peccatum habemus potentiam proximè indifferentem ad eligendum bonum, vel malum, ideoque nobis in natura lapsa existentibus dicitur Ecclesi. 15. *Apposui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, extende manum tuam: ergo &c.*

2 Respondeo: certum est primo Adamum creatum fuisse cum libero arbitrio. Ideo S. Augustinus in Enchirid. cap. 25. loquens de Adamo ante peccatum dicit: *Sic cum munerans libero arbitrio, vt regeret imperio, terreret exitio.* Idem vt indubitatum supponit Concilium Arausicanum can. 7. 8. 13. 25.

3 Certum est secundo Adamum ante peccatum non habuisse liberum arbitrium determinatum ad bonum, adeoque impeccabile, sed habuisse liberum arbitrium peccabile, ac indifferentem ad bonum, & malum, cum de facto peccauerit. Possumus ergo distinguere tres status liberi arbitrij. Primus, in quo fuit Adam ante peccatum, & in quo fuerunt Angeli in statu viæ: secundus in quo sunt beati: tertius in quo sunt damnati. Adam, & Angeli in statu viæ ante peccatum habuerunt liberum arbitrium proximè peccabile, per quod proximè poterant eligere bonum, vel malum. Beati in statu termini habent liberum arbitriū proximè impeccabile, per quod possunt eligere inter bonum, & bonum, sed non possunt peccare, eligendo malum. Damnati in statu termini habent liberum arbitrium cum morali necessitate semper peccandi, vt dictum est quæst. 189. num. 25. Docet hoc S. Augustinus pluribus in locis. Lib. 22. de Ciuit. cap. 30. dicit. *Seruandi autem erant gradus diuini muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo, nouissimum, quo peccare non posset, atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.* In Enchiridio cap. 105. Sic enim oportebat prius hominem fieri, vt bene velle posset, & male, nec gratis, si bene, nec impune, si male; postea verò sic erit, vt malè velle non possit: & paulo post: ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit, quamuis sit melius, quod peccare non possit.

4. Certum est tertio Adamum, & Ange-

los ante peccatum in statu viæ habuisse liberum arbitrium, quo proximè poterant eligere non solum bonum naturale, sed etiam supernaturale: siquidem ex dictis quæst. 258. habuerunt gratiam sanctificantem, & habitus infusos, quibus poterant elicere, ac de facto elicuerunt actus fidei, spei, charitatis super omnia &c.

5. Certum est quarto ex dictis quæst. 259. quod in Adamo ante peccatum per iniustitiam originalem pars inferior erat perfectè subiecta superiori, & appetitus sensitivus rationi, ita vt nulla simplex inclinatio ad bonum sensibile, & intelligibile contrarium honesto præueniret deliberationem, & imperium rationis.

6. Hinc sequitur Adamum ante peccatum, & Angelos in statu viæ habuisse libertatem quamdam perfectam, qua nos caremus etiam cum sumus in statu gratiæ.

7. Probatur primo: nam libertas dicitur perfecta tripliciter: primo ex eo, quod non seruit peccato: secundo ex eo, quod est perfectè indifferentem: tertio ex eo, quod sine difficultate potest se ad vtramlibet partem determinare: sed ex omnibus his tribus capitibus libertas Adami, & Angelorum fuit perfecta, libertas nostra est imperfecta: ergo. Probatur minor quoad singulas partes. Primo seruitus quædam peccati consistit in inclinationibus indeliberatis in bonum sensibile, vel intelligibile contrarium rationi, ideoque Apostolus sentiens in se has inclinationes, dicebat ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis contrariam legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, & infra: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed ex dictis quæst. 259. Adam ante peccatum, & Angeli in statu viæ, nullas habebant inclinationes indeliberatas ad bonum sensibile, vel intelligibile contrarium rationi, nos autem etiam in statu gratiæ habemus tales inclinationes: ergo Adam habebat libertatem ab hac seruitute peccati, qua libertate nos caremus. Hanc libertatem à seruitute peccati, qua nos caremus, in Adamo fuisse, sæpe docet S. Augustinus, ac præsertim lib. 14. de Ciuit. cap. 11. dicens. *Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cum vitijs, peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit Io. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: quæ Augustini verba Concilium Arausicanum redegit in canonem 13. & lib. de corrept. & gratia cap. 12. dicit. Illi ergo sine villo peccato data est, cum qua conditus est voluntas libera, & eam fecit seruire peccato: horum verò cum fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit Ioann. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Probatur iam secunda pars minoris. Ad perfectam enim indifferentiam requiritur, vt voluntas non sit inclinata ad malum, sed voluntas Adami, & Angelorū, cum careret inclinationibus indeliberatis ad bona contraria rationi, carebat omni inclinatione ad malum, voluntas nostra